INDEX
SCHOLARUM
PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCLV—VI.

A DIE XV. OCTOBRIS USQUE AD XV. MARTII

HABENDARUM.

Praemissum est Schediasma de Hesiodi Operum prooemio.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA.

(GUIL. FR. KAESTNER.)

INDEX
SCHOLARUM

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE

PRORECTOR

AUG. HENR. RITTER D.

CUM SENATU.

Operum Hesiodeorum prooemium quale nunc exstat, a reliquo carminis corpore Boeotios Heliconis accolas diremisse auctor est Pausanias IX. 31. 4: *Βοιωτῶν δὲ οἱ περὶ τὸν Ἑλικῶνα οἰκοῦντες παρειλημμένα δόξῃ λέγουσιν ὡς ἄλλο Ἡσίοδος ποιήσαι οὐδὲν ἢ τὰ Ἔργα, καὶ τούτων δὲ τὸ ἐς τὰς Μούσας ἀφαιροῦσι προοίμιον, ἀρχὴν τῆς ποιήσεως εἶναι τὸ ἐς τὰς Ἐριδας λέγοντες:* neque aliter Plutarchum, doctissimum inter antiquos Hesiodi interpretem, existimasse ipsius verba Quaest. Sympos. IX. 1. 2 docent, ubi v. 11 (*οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος*) *τὰ πρῶτα τῶν ἔργων* appellat; immo jam Theophrasti auditorem Praxiphanem Proclus scholiasta narrat *ἐντυχεῖν ἀπροοιμιάστῳ τῷ βιβλίῳ καὶ ἀρχομένῳ χωρὶς τῆς ἐπικλήσεως τῶν Μουσῶν,* quae quum ita essent, ne Aristarchum quidem decem primos versus sine obelo in editionem suam recipere consentaneum erat. Est enim velut hymnus minutus ex eodem genere, cujus inter Homeridarum reliquias haud exigua exempla exstant; quae rhapsodi in festis deorum ludis et certaminibus, antequam ad heroum res gestas celebrandas aliave argumenta ex vita humana petita transirent, placandi numinis causa praefari solebant; quod ut de citharoedorum prooemiis clare testatur Cicero Orat. II. 79 et Plutarchus de musica c. 6, ita ad epicas quoque recitationes transferri ipsorum clausulae passim patiuntur, H. IX et XVIII: *σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον:* H. XXXI: *ἐκ σέο δ' ἀρξάμενος κλήσω μερόπων γένος ἀνδρῶν ἡμιθέων, ὧν ἔργα θεοὶ θνητοῖσιν ἔδειξαν:* H. XXXII: *σέο δ' ἀρχόμενος κλέα φωτῶν ᾄσομαι ἡμιθέων, ὧν κλείουσ' ἔργματ' ἀοιδοί*, omnium denique frequentissima: *αὖταρ ἐγὼν καὶ σεῖο* (vel *ὑμέων*) *καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς:* cf. Wolf Proleg. Hom. p. CVI, Welcker ep. Cykl. I, p. 392, Müller Gesch. d. griech. Liter. I, p. 125; ipsius denique Theogoniae Hesiodeae principium, quo Musarum laudes continentur, ad eandem speciem dudum revocarunt God. Hermannus praef. Hymn. Homer. p. XIII, Mützell emend. Theog. p. 366, O. Müllerus kl. deutsche Schriften I, p. 431, Klausenius in Welckeri Mus. Rhenan. III, p. 439; quodsi Hesiodea carmina non minus quam Homerica rhapsodorum studia exercuisse certum est (Naeke ad Choeril. p. 90), nihil proclivius est, quam ut cum Göttlingio et Osanno (Anecd. Roman. p. 266) utriusque carminis prooemium huic hominum nationi deberi statuamus. An ipsum Hesiodum nostri certe auctorem fuisse statuimus, quippe quem et certamina frequentasse vetus fama ferat adeoque primum omnium *ῥαψῳδῆσαι* Nicocles apud Schol. Pindar. Nem. II. 1 narret? Existimat ita Vollbehrius in Proleg. edit. Kilon. 1844, p. 21, nec tamen ulla causa motus praeter hanc,

quia nihil obtineri possit, cur huic abjudicandum esse videatur; sive hoc argumentum Boeotorum illo testimonio labefactetur, unde veterem auctoritatem satis levem esse apparet, antiquorum exemplarium defectum inde explicat, quia et prooemium sit, et tantummodo certae recitandi occasioni adaptatum fuerit; postremo F. A. Wolfium fidejussorem citat, qui hoc prooemium, ut incerti sit auctoris, vetustatem tamen minime spernendam redolere ait (Proleg. Hom. p. CCXLVIII); id ipsum tamen id quod solum in hac quaestione agitur, non conficit. Nempe vetus carmen esse omnes facile concedent; quod tamen si quaerimus num Hesiodum auctorem habeat, non aetatem, opinor, poëtae, nec nomen requirimus, quo veteres etiam qualemcunque ejus successorem aut recitatorem comprehendere potuisse constat, sed illud spectamus, num idem qui sequens carmen, etiam prooemium confecerit, idque ipsorum *Ἔργων* velut vestibulum aliquod limenve haberi voluerit; quorum ut posterius ne Vollbehrius quidem asseverat, ita de priore quoque haud scimus cur justa dubitandi causa exstet. Sequens enim carmen qui composuit, eum Persen fratrem habuisse cumque hoc lites exercuisse certum est, unde passim ejus et appellandi et reprehendendi aut monendi occasionem arripit; eademque monita prooemii verba extrema velut pollicentur: *ἐγὼ δέ κε Πέρσῃ ἐτήτυμα μυθησαίμην*: quae si ipsi sequentium poëtae tribuimus, aut necessaria carminis pars est, qua integrum carere prorsus non potuit, aut necesse est credi Hesiodum fratris probra ita venditasse, ut ea identidem ad populi scilicet delectationem per ludos et certamina decantaret, quorum neutrum aliquid probabilitatis habent. Necessaria certe carminis praefatio nec dirimi facile ab antiquissimis exemplaribus poterat, neque ita, opinor, a poëta instituta esset, ut fortuito tantum vinculo cum sequentibus ipsiusque Persae nomine jungeretur; sin reliquo carmine absoluto per singularem demum occasionem praefixam esse placet, omnium minime id a fratre Persae fieri consentaneum erat, quem si maxime credimus poëmata sua, ut apud Paus. IX. 30, est *ἐπὶ ῥάβδου δάφνης* vulgo recitasse, fraterna tamen probra vix iterare praeter necessitudinem, nedum totius inde carminis velut argumentum ita repetere decebat, ut vel praestantissima, quae deinceps sequuntur, praecepta fratris tantum objurgandi causa edere nec condidisse tantum hoc solo consilio carmen, sed per urbes quoque et terras Persen infamem facere velle videretur. Quorum omnium longe alia ratio penes rhapsodum erat; qui si carmen a poëta in fraterno discidio fusum civiumque plausibus exceptum per ora hominum propagare cupiebat, nec quae de suo praefabatur ad argumentum potius quam ad rem praesentem deorumque immortalium honorem dirigere debebat, neque ipsius argumenti breviorem notam habebat quam ejus nomen, cujus injuria toti carmini pangendo occasionem dederat; neu quis hoc a rhapsodi persona alienum fuisse existimat, utpote cui ipse Perses non jam praesto esset, non minore is jure velut ipsam poëtae personam induere et quasi praesentem Persen compellare poterat, quam Juvenalis, qui quod fictam adolescentulus suasoriam ad Sullam scilicet composuerat, nihilominus se *consilium dedisse Sullae* jactat, *privatus ut altum dormiret.* Accedit sermonis color, cujus plurima vocabula vel ab omni Hesiodi usu vel ab *Ἔργων* certe reliquis

partibus prorsus aliena sunt; velut δεῦτε, ἐννέπειν, ἄφατος, ῥητὸς ἄρρητος, ἔκηπι, χαλέπτειν, ἀρίζηλος, ἄδηλος, ἀΐω praeter hunc locum nusquam apud illum leguntur (ἄϊτε enim v. 211 ex Etymol. M. p. 43. 5 a Spohnio intrusum ipsa penultimae productione redarguitur, cujus quam lubrica sint exempla vel assentatorem Spohnii Bachmannum ad Lycophr. p. 116 non fugit); nec κλείειν et ὑμνεῖν praeter Theogoniae prooemium redeunt, cujus similem cum nostro indolem supra intelleximus; immo vel βριάει et ἀέξει cum Hecatae tantum fabula, ὑψιβρεμέτην autem Jovem cum Promethei episodio communem habet, quas Theogoniae partes et ipsas ad recentiorem originem merito referri videmus; utque fortuito factum esse statuamus, ut ἀγήνορα sola Theogonia, Ἔργα non norint, μινύθειν certe memorabile est hoc solo loco ad Homeri scilicet exemplum (Iliad. XV. 492, XX. 242) transitivam, ceteris omnibus intransitivam vim et structuram habere. Postremo quod nonnullis visum est sequens ipsius carminis principium minus apte a particula ἄρα fieri, ne si maxime quidem aliquid huic insoliti inesset, offensioni id esse posse C. F. Rankius scite monuit Hesiod. Studien (Gött. 1840. 4) p. 43: *Betrachte ich dieses, so gewinnt es für mich an Wahrscheinlichkeit, dass man bei Anfängen und Uebergängen epischer Gedichte in Hesiodus Zeit etwas Auffallendes dieser Art gesucht, für schön gehalten und den damaligen Verhältnissen angemessen gefunden habe*; nedum si talia vel familiari sermoni solemnia fuisse videntur, quemadmodum οὕτως ἦν in fabellis, Aristoph. Lysistr. 784 et Vesp. 1179, ubi Scholiasta: ὅτι τὸν μῦθον (leg. τῶν μύθων) προέπτατον οὕτως, οἷον ἦν οὕτω γέρων καὶ γραῦς· καὶ Πλάτων ἐν Φαίδρῳ (p. 237, 13)· ἦν οὕτω δὴ παῖς, μᾶλλον δὲ μειρακίσκος: utque Göttlingius perperam huc retulerit Rhiani exordium apud Stob. Serm. IV. 34, quod rectius ad orationis alicujus initium referri monuit Meinekius Anal. Alexandr. p. 200, in promtu est Horatianum Carm. I. 24: *ergo Quintilium perpetuus sopor urget*; et epigramma Hermae inscriptum apud Aeschin. adv. Ctesiph. §. 134: ἦν ἄρα κἀκεῖνοι ταλακάρδιοι κ. τ. λ., quod docte cum hoc loco comparavit J. A. Hagenius Melet. critic. (Marcoduri 1841. 4) p. 10, modo ne eo usque processisset, ut particulam ἄρα vim affirmativam habere perhiberet, ut Latinorum *utique*, *sane*, quod secus esse vel grammaticus ab ipso laudatus in Bekk. Anecdd. p. 441 docere poterat, qui eam particulam recte per ὡς ἔοικε explicavit. Nimirum ἄρα, ut dudum ad Lucian. de Hist. conscr. p. 17 annotatum est, eam vim habet, ut id quod quis dicat, non ab ipsius opinione aut arbitrio proficisci sed vel auctoritate aliena vel argumentis e re nata sensuque communi petitis affirmari intelligamus; quam eandem ejus quoque quod est ὡς ἔοικε sententiam esse post Viger. de idiot. p. 247 docte animadverterunt Wyttenbach ad Plutarch. Moralia p. 351 et Schaefer. ad ejusd. Vitas T. IV, p. 277 et 347; quodsi positivum ἄρα interdum ipsam vulgi opinionem significat, negativum, quod nunc habemus, multo certe verius quam Hartungius (Partik. d. griech. Spr. I. p. 415 sqq.) eumque secutus Nägelsbachius (ad Iliad. p. 183), qui nescio quid subiti atque repentini huic particulae inesse volunt, Lennepius ad h. l. ita explicavit, ut rem aliter deprehendi diceret quam prius esse visa sit vel quam vulgo concepta opinio ferret. Atque positivae illius

significationis planissimum exemplum est Theocr. VIII. 8, ubi postquam Menalcae et Daphnidis occursus verbo ὡς φαντὶ narrari coeptus est, mox pergitur: τὸν δ' ἄρα γὼ Δάφνις τοιῶδ' ἀπαμείβετο μύθῳ: quo documento neque Idyll. XVIII. 1 ἓν ποκ' ἄρα Σπάρτα κ. τ. λ. neque ἀλλ' ἄρα apud Theognid. v. 711, Apollon. Rhodium I. 227, Quint. Smyrn. I. 36, aut εἰ μὴ ἄρα H. in Cerer. v. 243, immo vel promiscuum illius particulae usum apud epicos aliter interpretandum esse arbitramur, quam ut poëta relata se fandoque accepta referre nec nisi auditionem sequi testetur; eadem vero et Platonis causa est, qui quemadmodum Phaedr. p. 259 B, initio narrationis a λέγεται facto, mox subjicit οὕτως ἄρα τινες τῶν τότε ἐξεπλάγησαν, ita sexcenties pro quavis verbi φάναι persona ἄρα usurpat, v. c. Apol. p. 34 C, Phaed. p. 87 C, Hipp. p. 283 B, et oratorum, qui adversariorum scilicet commenta hoc modo innuunt, ut Isaeus Aristarch. hered. §. 17: οὗτοι δὲ ἄρα εἰς ὑπόχρεων οὐσίαν καὶ οἰκόθεν εἰσεποίουν σφᾶς αὐτούς, Aeschin. c. Timarch. §. 36: ἠτιάσατό τινας εἶναι οἵπερ ἄρα ἐνεχείρουν συνδεκάζειν, Demosth. c. Aristocr. §. 95: παραγωγὰς δὲ τοιαύτας τινὰς ἐρεῖ, ὡς ἄρα πολλὰ τοιαῦτα ἤδη γέγονε, ubi plura ejusdem usus exempla Weberus p. 313 attulit; Pausanias denique eo usque processit, ut, quemadmodum apud Plautum passim *scilicet* Accusativum cum Infinitivo secum habet (Göller. ad Trucul. p. 127), ita ἄρα antecedente orationem obliquaret I. 30: Τιμαγόρας δὲ ἄρα ... φέρων ἑαυτὸν ἀφῆκε· Μέλητα δέ, ὡς ἀποθανόντα εἶδε Τιμαγόραν, ἐς τοσοῦτο μετανοίας ἐλθεῖν κ. τ. λ.: quae quum ita sint, eodem jure, quo apud Eurip. Hippolyt. v. 358 Κύπρις οὐκ ἄρ' ἦν θεὸς interpretamur: *Venus non ut vulgo existimatur, dea est*, nostro quoque loco per οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην Ἐρίδων γένος vulgarem de Eridis unitate opinionem impugnari dicas. Quanquam potest etiam simpliciter pro ὡς ἔοικε haberi, ἠθικῶς, ut ait Schol. Apollon. Rhod. II. 438, qui hoc ipso loco utitur ad explicandum illum: ἦ ἄρα δή τις ἔην, Φινεῦ, θεὸς, nimirum ut poëta id, quod aut testimoniis constet aut argumentis perspicuum vel certe probabile sit, et ipse agnoscat inque suum usum convertat; cui significationi etsi plerumque praesens tempus convenit, ut in Arati locis, quos nuper Maur. Schmidtius in Philol. P. IX, p. 551 attigit, eundem imperfectum quoque admittere docent exempla apud Meinek. ad Menandr. p. 149, non quo id solum praesentis locum teneat, sed ut ipso praeterito tempore declaret rem de qua agatur non nunc demum inventam, sed antiquam ipsoque usu et experientia probatam esse; idem tamen tantum abest ut argumenta, quibus hoc constet, in antecedentibus perscribi postulet, ut per se clara vel vulgo nota esse ipsa particulae vis arguat; quocunque igitur modo nostrum locum interpretamini, in v. 11 nihil causae inesse intelligitis, quapropter aliquid praecessisse necesse sit, nedum hoc quod vulgo praefigitur prooemium ad eundem poëtam referatis qui Eridum discrimen carminis sui initium esse voluit.

Neque vero aut omnino ineptum aut sequentibus inconcinne praemissum est a quocunque rhapsodo hoc prooemium; qui quum id ipsum sibi proposuisset, unde καὶ Ὁμηρίδας ῥαπτῶν ἐπέων τὰ πόλλ' ἀοιδοὺς ἄρχεσθαι Pindarus testatur Nem. II. 2, Διὸς ἐκ προοιμίου, nullo magis nomine deorum hominumque patrem praedicare Musas filias ipsius jussit,

quam quo etiam Horatius, ab insanientis sapientiae cultu ad deorum reverentiam redux, omnium maxime numen divinum censuit, quod (Odar. I. 34. 12) *ima summis mutare et insignem attenuare deus valeat, obscura promens*; nec facile intelligas, quomodo eadem sententia, quam apud poëtam latinum justa omnium admiratio prosequitur, in graeco ejusdem exemplari tanto quorundam criticorum fastidio excepta sit, ut Dan. Heinsius Introd. c. 17 boni quidem philosophi sed mali poëtae versus agnoverit, Twestenius autem (Comm. Hesiod. Kil. 1815. 8, p. 12) ne illam quidem ei laudem reliquerit, sed quae ipse non intelligeret, in miseri hominis crimen et vituperationem converterit. Nempe negat *cum cura ab eo librum perlectum esse et argumentum recte perceptum*; quasi vero id aut huic rhapsodo aut cuivis alii propositum fuerit, ut in *prooemio*, quale Cicerone praeeunte appellat, *affecto* tanquam in principio consequenti orationi connexo argumentum diligenter enarraret; sive id ipsum Twestenius voluit, ut hoc documento non ab Hesiodo profectum, sed affictum esse prooemium ostenderet, pro poëta ne nos quidem pugnamus, rhapsodi vero ineptias, quantas ille persequitur, neutiquam concedimus. Atque ei quidem cavillationi, quae quaerit *quid attinuerit invocare Musas celebrantes non justitiam Jovis sed potentiam*, scite jam C. F. Rankius in Comm. de Hesiodi operibus et diebus (Gott. 1838. 4) p. 31 Aelii Aristidis auctoritatem opposuit, Encom. Romae p. 338: *ἀλλὰ μένει δικαστὴς ἕτερος μέγας, ὃν οὔποτε οὐδὲν ἐκφεύγει τῶν δικαίων, κἀνταῦθα δὴ πολλὴ καὶ εὐσχήμων ἰσότης μικροῦ πρὸς μέγαν καὶ ἀδόξου πρὸς ἔνδοξον καὶ πένητος δὴ πρὸς πλούσιον καὶ γενναῖον ἀγεννοῦς, καὶ τὸ τοῦ 'Ησιόδου συμβαίνει·*

ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει

οὗτος ὁ δικαστής τε καὶ ἡγεμών, ὅπως ἂν τὸ δίκαιον ἄγῃ ὥσπερ πνεῦμα ἐν νηΐ, οὐ δήπου πλουσίῳ μὲν μᾶλλον, πένητι δὲ ἧττον χαριζόμενον τε καὶ παραπέμπον, ἀλλ' ὅτῳ γένοιτο ἀεὶ, τοῦτον ὁμοίως ὠφελοῦν: quae etsi verba proxime non Jovem Optimum Maximum sed imperatorem Romanum spectant, quem ad illius imaginem orbem regere rhetor jactat, hac ipsa tamen imagine etiam Jovis majestatem illustrat, quae hac ipsa re justitia fit, quod omnes summos pariter atque infimos eadem mensura metitur neque aut potentiam humanam reformidat aut humilitatem spernit; utque temerarius sit, qui summam hominis potentiam eandem justitiam fore speret, divini numinis apud antiquos ea profecto notio erat, ut etiam qui deterius de eo sentiret, multo magis arbitraretur fore ut potentia sua uti detrectaret, quam ut ea abuteretur. Abusus enim potentiae *ὕβρις* est: juri autem nihil magis contrarium quam *ὕβριν* clare Hesiodus testatur *Ἔργ.* 215: cf. Privatalterth. §. 60, n. 7 et Stacke in Klotz Archiv. XVII, p. 419: quod si ea communis veterum persuasio erat, ut jus omne a diis repeterent (Eurip. Hippolyt. 98: *εἴπερ γε θνητοὶ θεῶν νόμοισι χρώμεθα:* cf. Demosth. Aristocr. §. 70 et Xenoph. M. Socr. IV. 4. 19) ipsamque *Δίκην* Jovis *σύνεδρον* facerent (Staatsalterth. §. 8 n. 8), *ὕβριν* certe ab hujus consortio longissime removeri oportebat, neque illa posterioris aetatis cantilena, qua aut mundum ut Heraclitus (Procl. ad Plat. Timaeum p. 101) aut homines dei velut *παίγνια* appellavit (Ast ad Plat. Legg. p. 76; Boissonad. ad Philostr. Heroica p. 476), prius locum invenire poterat, quam

leges a divina auctoritate ad humana consilia vel arbitria revocarentur; cf. Diodor. Sic. IX. 36: *εἶναι γὰρ τὴν μὲν φύσιν θεοῦ ποίησιν, τὸν δὲ νόμιον ἀνθρώπου θέσιν*, pluraque in Abh. d. Gött. Gesellsch. d. Wissensch. IV, p. 26 sqq. Certe hoc facto nisi philosophi sapientiam divino numini adjungerent, nulla re a Fortuna differebat, cujus proprium et peculiare *ludibrium* est, cf. Moser ad Cicer. Parad. p. 51; neque Horatium aut nostrum locum aut ipsam quam communiter cum hoc praedicat potentiam divinam aliter intellexisse ostendunt ea quae verba modo laudata proxime excipiunt: *hinc apicem rapax Fortuna cum stridore acuto sustulit, hic posuisse gaudet*; ejus vero aetatis, in qua rhapsodi Hesiodei prooemium versatur, prorsus aliae rationes erant; cui quum nihil magis persuasum esset, quam Jovem hominibus dedisse *δίκην ἢ πολλὸν ἀρίστη γίγνεται* (*Ἔργ.* 279), hic quin eandem integram et incolumem servari vellet, dubitare non poterat unumque ambigebat, ne is humani judicis instar vel gratiae vel avaritiae tantum indulgeret, ut opulentorum hominum precibus ac donis vel justam iram interdum remitteret, quam in sententiam erant qui Suida teste ipsum Hesiodum hunc versum, qui in proverbium abiit, pepigisse perhiberent:

δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας:

cf. Paroemiogr. Gotting. I, p. 235 nostraque gottesd. Alterth. §. 24 n. 2. Hujus igitur opinionis vanitati bona causa erat cur prooemii nostri poëta summam summi dei potentiam ita opponeret, ut opulentissimis quibusque maxime metuendam esse moneret, eademque opera humiles atque inopes consolaretur, qui quum in republica saepe principum superbiam cum insigni suo detrimento sentirent, nihil magis exoptare poterant quam eam divinae potentiae aequabilitatem, quae nec reprimendae superbiae nec attollendae humilitati, si res ita ferret, impar esset; de justitia autem, vel si iniquior hac ratione opulentorum conditio esse videtur, ne illi quidem justitiae notioni repugnat, cui nihil magis quam *ὕβριν* adversari diximus, nedum ei, quam Herodoti certe testimonio Graecos divino mundi regimini proposuisse constat. Quippe his vel ipsa opulentiae nimietas in crimine versari videbatur, siquidem eam rerum mediocritatem violaret, qua mortalis hominis mensuram contineri divinum numen vellet; cf. Hoffmeister die sittlich religiöse Lebensansicht des Herodotos p. 25 sqq.; neque immerito, si quidem summum jus in aequabilitate quadam ponebant (*δοκεῖ δὲ πᾶσιν ἴσον τι τὸ δίκαιον εἶναι*, Aristot. Politic. III. 1. 7; §. 8; Eth. Nicomach. V. 3 etc.), quae priusquam accuratius definiretur atque ad dignitatis indignitatisque mensuram redigeretur, ne innocente quidem deprimendo, modo praepotens esset, deus, quem aeterni illius juris exsecutorem esse oporteret, injuste agere videri poterat; itaque sola potentia opus erat, qua vel summas opes humanas frangere rursumque inopis miseriam, quae quidem modum excedere videretur, melioris fortunae aequilibrio velut compensare valeret. Verum enim vero ne hoc quidem attinet, ut ad ipsam quasi divini juris formulam redeamus, ejusque instrumentum in Jovis potentia describenda exhiberi arbitremur; cui fati exigua tantum vestigia apud Hesiodum adhaerere scite monuit Lilie in Klotz Archiv XVI, p. 332 sqq.; sufficit in hoc ipso tanquam humani juris fonte et auctore sive fidejussore sub-

sistere, quem si veteres hujus juris a se profecti laesiones suapte manu ulcisci credebant, proclive erat aequiorem inopibus, iniquiorem opulentis statuere, quorum hi, ne ab illis laederentur, suis ipsi opibus satis tuti esse videbantur, illis ab horum superbia et arrogantia nisi in divina ope perfugium nullum patebat; nec si ὕβρις omnium maxima illius juris laesio habebatur, pauperes magis quam divitis hujus ulciscendi occasionem necessitatemve afferebant; τίκτει γὰρ, Aristotelis verba sunt apud Stob. Serm. III. 54, ὥσπερ φησὶν ἡ παροιμία, κόρος μὲν ὕβριν, ἀπαιδευσία δὲ μετ' ἐξουσίας ἄνοιαν: cf. Paroemiogr. I, p. 308 et Welcker ad Theogn. 109, qui etiam Solonis dicto utitur apud Diogen. L. I. 59: τὸν μὲν κόρον ὑπὸ τοῦ πλούτου γεννᾶσθαι, τὴν δὲ ὕβριν ὑπὸ τοῦ κόρου. Unum in tota hac quaestione tenendum est, quod tamen non in rhapsodum magis Hesiodeum quam in ipsum Hesiodum cadit, totum hujus prooemii argumentum quaeque modo ad ejus illustrationem allata sunt, ad popularem rationem pertinere, cui ex omni deorum immortalium religione nihil acceptius esse poterat, quam quod ad optimates confundendos plebisque laetitiam bonamque spem augendam faceret; quae quum jam illa aetate veterem principum reverentiam exuere suique juris conscientiam aliquam concipere coepisset, nihil mirum erat hominem, qui popularem auram captaret, canendi recitandive exordium ab ea potissimum numinis imagine repetere, quae vel summam potentiam humanam a divina longe superari ostenderet; ea ipsa tamen communis Hesiodeae poesis conditio est, ut, quod docte intellexit Planckius in Allg. Monatschrift 1854, p. 594, quo arctioribus finibus civilem vitam intra quotidiani usus mensuram contrahat, eo augustiorem deorum majestatem persentiscat, quorum tutela multo minus carere possit quam Homerica aetas, cujus reges atque heroes ipsi etiam tum diis fere pares utque θεῶν ἀγχίσποροι (Plat. Republ. III, p. 391) horum velut vicarii quum in omnibus rebus humanis regendis tum in jure reddendo haberi solebant; eoque pacto Jovis illae laudes insigniter conveniunt cum ea Hesiodeae aetatis indole, quam instar omnium Thierschii verba in Abh. d. Bayr. Akad. 1813 philol. Cl. p. 19 egregie describunt: *der heroische Zustand der Gesellschaft im Homer . . . erscheint im Untergehen; die Könige sind Gegenstand der Eifersucht und des Tadels, als geschenkefressende willkürliche Herrscher; dagegen drängt sich das ganze bürgerliche Leben bedeutend hervor; nicht nur mit seinen häuslichen Leiden und Geschäften, sondern auch mit seiner politischen Bestrebsamkeit. — — Das Bewusstseyn eigener Kraft ist in dem Einzelnen hervorgetreten; er fühlt sich als Glied einer grossen Gesellschaft, deren Wohl er beachtet und fördert; an dem gemeinsamen Thun und Treiben nimmt er seinen Antheil, und Reichthum wird nicht allein durch häusliche sondern auch durch öffentliche Thätigkeit erworben. — — In diesem allseitigen Hervordrängen vielfacher Geschäftigkeit, in dem allgemeinen Anregen geselliger Kräfte entfaltet sich sehr lebendig das Bild eines werdenden Freistaats . . . der selbstgenugsame freie Stand der Gesellschaft ist so gut wie ausgebildet, und das Monarchische aus der Heroenzeit, über dessen verödete Formen die neue Ordnung emporgewachsen ist, fällt wie von*

selbst und ohne gewaltsamen Anstoss zusammen und in das verjüngte mannichfaltige Leben der mündig gewordenen Gesellschaft hinein.

Atque hinc etiam extrema prooemii nostri pars idoneam explicationem accipit, quae mirum in modum interpretes et antiquos et hodiernos exercuit tantasque turbas movit, ut etiam qui in antecedentibus nihil admodum reprehenderent, versum decimum tanquam ineptissimum scioli alicujus (Göttlingii haec verba sunt) additamentum cancellis circumclusum a reliquis separarent; cujus partis sententiam etsi jam Vollbehrius verissime et acutissime aperuit, tamen quoniam et hic eam significare potius quam undique illustrare sategit et alii post illum ipsam ejus significationem aut ignorasse aut tacite improbasse videntur, eandem hic denuo commendare cumque antecedentibus conjungere haud supervacaneum fuerit. Nimirum antiquum versum esse grammaticorum mentio ostendit, qui jam in eo interpretando desudarunt, in Scholio Dorvill. apud Gaisford. p. 39, quod e Göttlingii emendatione subjecimus: *Πολύζηλος δὲ ἐν Ῥοδιακοῖς Τύννην ἄρχοντα Χαλκιδέα φησίν, ἐφ' οὗ κρίνεσθαι τὸν Ἡσίοδον μετὰ τοῦ ἀδελφοῦ· Διονύσιος δὲ φαιέδριστον* (Göttling *φιλέριστον*; Lennep *Φαλωρίτην*), *ἀγνοοῦντες ὅτι ἀντωνυμία ἐστὶ παράγωγος*, quanquam possis etiam *φασὶν* servare, ut Polyzelus Chalcidensem illam explicationem retulerit potius quam ipse amplexus sit, quemadmodum apud Zenob. VI. 50 legimus: *ταύτης Πολύζηλος μέμνηται ἐν Μουσῶν γοναῖς ... ἐπειδὴ Χαλκίδα τῆς Εὐβοίας πόλιν φασί ποτε ἀνθῆσαι ... οἱ δέ φασιν οὐ τὴν πόλιν ἀλλὰ τὴν ἡρωΐδα Χαλκίδα εἰρῆσθαι:* Dionysium autem Thracem esse, cujus operam Hesiodo praestitam etiam Proclus ad *Ἔργ.* 569 testatur, scite intellexit Osannus Anecd. Roman. p. 310, unde quum dubitasset, num eum spurium judicare cum Göttlingio liceret, his verbis eum reprehendit Wold. Ribbeckius in N. Jahrbb. LXVI, p. 6: *der Spielraum zwischen Hesiod und Aristarch's Schule ist aber freilich noch ausgedehnt genug, um einen abgeschmackten Vers als unecht bezeichnen zu dürfen, auch wenn ihn wirklich Dionysios der Thraker gelesen haben sollte*; neque aequius de hoc versu existimat Bernhardyus griech. Liter. II, p. 181, quocum etsi totum prooemium ab Hesiodo facile abjudicamus, illud tamen quod addit non concedimus: *dessen Verfasser gegen die Zwecke der ἔργα sehr gleichgültig war und in v. 9. keinen Uebergang zu finden wusste.* Immo optimus, ut opinamur, fiet transitus, modo ne v. 9 Jovem, ut vulgo putant, sed qualemcunque regem vel principem appellari statuamus, quem rhapsodus moneat, ut summam Jovis potentiam veritus munere judiciali recte fungatur, itaque sibi viam muniat ad ipsum carmen recitandum, cujus summa in eo versatur, ut etiam quae peculiariter Persae dici videantur, hujus exemplo communiter universos homines officiorum suorum admoneant. Veteres utique plerosque ad Jovem retulisse Scholiastarum commentis intelligimus, qui Solis Homerici instar, *ὃς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* (Iliad. III. 277, Odyss. XI. 109), Jovem quoque implorari arbitrantur, ut, qui omnia et videat et audiat, mundum justo regimine gubernet: quemadmodum Proclus: *ὡς πάντα ἐφορῶν καὶ ἀκούων τῶν γινομένων ἐπόπτης γενοῦ, καὶ μὴ μόνον δι' ἀκοῆς δέξαι τὰ ῥηθησόμενα, ἀλλὰ καὶ δι' ὄψεως ἴθυνον:* Moschopulus: *ἄκουσόν μου ὦ Ζεῦ ὁ ἐγνωκὼς πάντα καὶ γινώσκων, ἴθυνε δὲ τὰς θέμιστας σὺν*

δίκη, ἀντὶ τοῦ εὐθείας ποίει, σύ: Tzetzes: *ἐπανέλαβε πάλιν τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον ὁ ποιητὴς καὶ φησι πρὸς τὸν Δία ἤγουν τὴν εἱμαρμένην· κλῦθι καὶ ἄκουσον, τύνη καὶ σὺ ἰδὼν τὰ παρόντα, αἴων τε καὶ ἀκουστικῶς ἔχων, δικαίως δὲ κρίνων τὰς θέμιστας καὶ δίκας:* quanquam alios etiam in rem praesentem retulisse Schol. Dorvill. verba docent: *σὺ ὦ Ζεῦ, ὁ ἰδὼν τότε τὰς τιμωρίας* (num *σκευωρίας?*) *τοῦ ἀδελφοῦ μου Πέρσου καὶ τὰς ἀδικίας ἀρτίως ἀκούων ἐμοῦ ἐπάκουσον:* alios denique pro Jove Chalcidensem aliquem magistratum substituisse, apud quem ipse Hesiodus cum fratre Perse litigasset, ex ejusdem Scholiastae testimonio modo allato discimus, quod licet inepte factum esse certatim interpretes intellexerint, humanum tamen judicem respuere haudquaquam debebant. *Κλῦθι* enim quamvis plerumque in deorum auxilio implorando locum habeat, tamen nec praesentem auditorem excludere docet Sophocl. Trachin. 1115: *σιγὴν παράσχων κλῦθί μου νοσῶν ὅμως*, eodemque modo *κλῦτε* usurpatur ut *κέκλυτε* apud Apollon. Rhodium II. 209, IV. 1347; ad Jovem autem a Musis imperativus ita tantum transire poterat, ut ipsius nomen adderetur, quemadmodum in Homerico hymno ad Vulcanum, cujus comparatione Hagenius nostrum tueri conatus est: *Ἥφαιστον κλυτόμητιν ἀείσεο, Μοῦσα λίγεια ... ἀλλ' ἴληθ' Ἥφαιστε, δίδου δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον:* solum *τύνη* id est *σὺ* ad deorum principem conversum ne humanitatis quidem illi legi convenisset, qua veteres novimus quantum possent vel infimos homines nominatim salutasse, ut ille apud Terent. Adelph. V. 6. 3: *o qui vocare? — Geta — Geta, hominem maximi preti te esse hodie judicavi;* cf. Plut. V. Them. c. 4: *οὐ μὴν ἀλλὰ τοῖς πολλοῖς ἐνήρμοττε ἕκάστου τῶν πολιτῶν τὸ ὄνομα λέγων ἐπὶ στόματος*, et Intpp. Thucyd. VII. 69, ubi Niciam legimus singulos trierarchos appellasse *πατρόθεν τε ἐπονομάζοντα καὶ αὐτοὺς ὀνομαστὶ καὶ φυλήν*, immo jam Homericum *ἐξονομακλήδην* Iliad. XXII. 415 et Odyss. IV. 278; quod si vel in homine *religiosius* putabatur (Plin. N. Hist. XXVIII. 5. §. 23) *nomine consalutari*, dei nomen sine summa impietate reticeri in precando non poterat. Accedit absurdum hominis fastidium, qui se opponendo Jovi quasi aequiperaret; cui qui ita mederi conati sunt (Heinsius, Graevius, Twestenius), ut Persen potius appellari arbitrarentur, licet a codicibus quum aliis tum optimo seculi XI Mediceo quinto apud Lanzium commendationem habere videantur, qui non *Πέρσῃ* sed *Πέρσῃ* velut vocativo casu scriptum exhibent, tamen et *θέμιστας ἰθύνειν* judicis tantum, non litigatoris esse ipsi intellexerunt, et librorum in hoc genere exigua auctoritas est, de quo quum Strabonis (XIV, p. 648) et Sexti Empirici (adv. Mathem. I. 9) aetate fuerint qui dubitarent *εἰ ταῖς δοτικαῖς προσθετέον τὸ ῑ*, nihil mirum est antiquissima quaeque exemplaria in ea re maxime vacillasse, donec iota subscriptum labente paulatim graecitate amissum, ut C. E. C. Schneideri verbis utamur ad Plat. de Civitate I, p. LVIIII, seculo XII vel alio quocunque tempore velut postliminii jure ad dativum reverteretur, cf. etiam Welcker. Syll. epigramm. p. XXXIV; Godofr. Hermannus denique, qui *τύνη* ab antecedentibus prorsus revulsum tanquam *ἀλλ' ἄγε* cum sequentibus conjunxit (Opusce. VI. 1, p. 220), tantum abest ut cum Rankio p. 31 fortasse verum vidisse dici possit, ut neque asperitatem transitus sustulerit, comparatoque Theogoniae v. 36 nihil nisi clavum clavo, ut ajunt, ejecisse

videatur. Nam quod illic vulgo poëtam se ipsum alloqui et ad cantandum excitare arbitrantur, itidem valde ambiguum est nec nisi talibus exemplis defenditur, ubi velut altera animi pars alteram *θύμου* vel *κραδίης* vocabulo appellat, quemadmodum ipsi nuper *animae* apud Juven. I. 169 Platonicorum praeceptorum comparatione (Phaed. p. 94, Republ. IV, p. 441) defendimus; simplici *σὺ* alium potius respici consentaneum est verique, ut opinamur, similior ea suspicio erit, ut solemnem hanc rhapsodorum vocem fuisse statuamus, qua sub ipsius recitationis initium finemve magistratum, qui ludis et certamini praesideret, compellarent; non illum quidem nomine, quod singulis locis et occasionibus diversum in constantem prooemii formulam recipi non poterat, sed tamen ea appellatione, qua is a reliqua audientium turba peculiariter distingueretur; idque si ita instituebatur, ut idem simul peculiariter de jure tuendo et justitia servanda admoneretur, rhapsodus Hesiodeus neque ab ipso carminis argumento longius aberrasse neque aut suae aut poëtae personae immemor fuisse existimandus est. Nempe ut apud Aristophanem legitur Ran. 1082, *τοῖς μὲν γὰρ παιδαρίοισιν ἐστὶ διδάσκαλος ὅστις φράζει, τοῖς δ' ἥβῶσίν γε ποιητής*, eosdemque poëtas Plato Lysid. p. 214 *ὥσπερ πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας εἶναι* ait, quibus consentaneum erat antiquo tempore, quum epici agones similem ejus locum tenerent, quem posterius scenici occupaverunt, eandem libertatem velut divino numine consecratam concedi; utque posterius histriones in fabulis agendis ipsorum poëtarum partes suscepisse constat, ita non dubitamus quin aequa rhapsodorum in agonibus potestas fuerit, quibus si licebat sub poëtae persona palam *δωροφάγους βασιλῆας* increpare (*Ἔργ.* 39. 264) hisque *σκολιὰς δίκας* exprobrare (ibid. 221. 250), immo vel *αἶνον* illum decantare, qui accipitris imagine importunam potentium hominum superbiam describit (ibid. 202 sqq.), sibi quoque hoc indulgere poterant, ut a Jovis Optimi Maximi majestate severae admonitionis occasionem repeterent, qua ex illius aetatis ingenio, quale superius descripsimus, nemo magis quam ipsi reipublicae principes indigere videbantur. Sic igitur illud *ἰδὼν ἀΐων τε* interpretamur, cui veteres interpretes ut Jovem pro subjecto vindicarent, temerario supplemento *πάντα* adjecerunt, nos multo, ut nobis videmur, simplicius *ταῦτα* mente addimus, ut ejus, qui admonetur, oculi auresque ad illustrissima divinae potentiae documenta advertantur, quibus visis auditisque caveant, ne, ut apud Homerum est Iliad. XVI. 385,

βίῃ εἰν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,
ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες,

prorsus ut ipsum Hesiodum praecipientem audimus *Ἔργ.* 248:

ὦ βασιλεῖς, ὑμεῖς δὲ καταφράζεσθε καὶ αὐτοὶ
τήνδε δίκην· ἐγγὺς γὰρ ἐν ἀνθρώποισιν ἐόντες
ἀθάνατοι φράζονται ὅσοι σκολιῇσι δίκῃσι
ἀλλήλους τρίβουσι, θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες,

nec si hoc loco daemones potius poenas ab injustis exsequi dicuntur, his summi numinis auctoritatem deesse testantur proxime insequentia v. 267:

πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας

καί νυ τάδ', αἴ κ' ἐθέλῃσ', ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει,
οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει:

cf. Platner not. juris et justitiae ex Homeri et Hesiodi carm. Marb. 1819. 8, p. 152, Thönissen krit. Erörterungen aus Hesiod's Leben, Glauben und Dichten, Trev. 1844. 8, p. 32, Allihn de idea justi qualis fuerit apud Homerum et Hesiodum, Hal. 1847. 8, p. 48, Lehrs quaest. epic. p. 241 sqq. Accedit, quod docte jam Vollbehrius monuit, ut *θέμιστες*, ubi de jure dicundo usurpantur, apud Homerum pariter atque Hesiodum semper humanam jurisdictionem significent; cf. Theog. 85: *οἱ δέ τε λαοὶ*

πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας,

Ἔργ. 221: *σκολιῆς δὲ δίκης κρίνωσι θέμιστας:* Iliad. IX. 156, Odyss. IX. 112, ipsosque reges *θεμιστοπόλους* Hymn. in Cerer. 103 cum Dionys. Hal. Arch. Rom. V. 74; cujus etsi facultatem divinitus reges nacti sunt (*δικασπόλοι οἵ τε θέμιστας πρὸς Διὸς εἰρύαται,* Iliad. I. 238; cf. II. 206; IX. 99), ipsi tamen dii non judicant, sed illud tantum agunt, ut homines ea lege, quam a diis acceperunt, recte utantur; cf. *Ἔργ.* 276 sqq. et Callim. H. Jov. 83: *ἵζεο δ' αὐτὸς*

ἄκρης ἐν πτολίεσσιν ἐπόψιος οἵ τε δίκῃσι
λαὸν ὑπὸ σκολιῆς, οἱ δ' ἔμπαλιν ἰθύνουσι.

Tribuuntur utique diis quoque *θέμιστες*, ut Odyss. XVI. 403: *εἰ μέν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο θέμιστες*, id est effata divina vel signa, quibus voluntas illorum cognoscatur, cf. Nägelsbach homer. Theol. p. 147; unde fit ut ipsa oracula passim *θέμιστες* appellentur (Hymn. in Apoll. 391, Pindar. Pyth. IV. 54), nec Pythiae Delphicae munus aliud verbum solemnius habet quam *θεμιστεύειν*, cf. Böttiger Opuscc. lat. p. 191 vel Kunstmythol. II, p. 110 et Schömann. ad Aeschyl. Eumenid. p. 75, nimirum quia haec divinum mundi regimen hominibus quasi per transennam dispiciendum praebent, quapropter etiam Themis non ante Apollinem tantum oraculum Delphicum tenuisse sed vel una cum hoc *συμπροφητεύειν* credebatur secundum Plutarch. Herod. malign. c. 23, cujus testimonium fugit Gerhardium d. Orakel d. Themis, Berl. 1846. 4; verum enim vero haec ipsa plerumque *σκολιὰ* potius sunt (Diodor. XVI. 91) sive *λοξὰ καὶ περισκελῆ* (Cornut. N. Deor. c. 32; Lucian. Deor. Dial. 16. 1); quod si prooemii nostri poëta Jovem ipsum *δίκῃ ἰθύνειν θέμιστας* juberet, verendum esset, ne clariora et justiora ab hoc auspicia vel oracula et portenta efflagitare videretur. Humanis contra judiciis nihil magis quam rectitudinem apud poëtas proponi quum alii dudum viderunt tum nos monuimus a. 1851 in Disp. de sceptri regii antiquitate et origine p. 15, ubi hanc ipsam *σκήπτρου* vim et significationem fuisse suspicati sumus, ut *ἰθείας* regum magistratuumve *δίκας* velut oculis spectandas exhiberet; si quis igitur *ἰθύνειν θέμιστας* jubetur, humanus potius judex habendus erit, qualem Apollonius Rhod. IV. 1178 describit: *ἐν δ' ὅγε χειρὶ*

σκῆπτρον ἔχεν χρυσοῖο δικασπόλον, ᾧ ὑπὸ λαοὶ
ἰθείας ἀνὰ ἄστυ διεκρίνοντο θέμιστας:

idque quum etiam reliquo nostri prooemii tenori totique vel aetati vel sectae Hesiodeae ab omni parte accommodatissimum esse constet, ut princeps civitatis potius quam deorum hominumque rex ad justitiam strenue

et incorrupte exercitandam invitetur, eadem opera extremum illius versum ab omni ineptiarum et interpolationis crimine liberare licebit.

P. P. in Academia Georgia Augusta m. Julio a. MDCCCLV.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

J. G. REICHE, Dr., *epistolas Pauli ad Romanos et ad Corinthios* datas h. IX—X sexies per hebd. interpretabitur; *Isagogen in N. T. libros canonicos historico-criticam* quinquies h. XI—XII tradet. Ad *societatem exegeticam* constituendam commilitones invitat, tempore iis, qui nomina sua hoc consilio professuri sunt, opportuno habendam.

FRIDERICUS EHRENFEUCHTER, Dr, publice *Seminarii regii homiletici exercitationes* die Saturni h. X—XII et *exercitationes catecheticas* moderabitur dieb. Mercur. et Sat. h. V—VI. Item publice *Systema Theologiae* ad usum imprimis eorum accommodatum, qui in eo sunt, ut studia academica absolvant, brevi in conspectu ponet semel die Mercur. h. III—IV. — Privatim *Theologiae practicae partem priorem* tradet, i. e. prolegomena, doctrinam de fidei christianae propagatione artisque catecheticae praecepta, dieb. Lun. Mart. Jov. Vener. h. III—IV. *Historiam vitae ecclesiasticae* enarrabit quinquies h. XI—XII.

J. A. DORNER, Dr., privatim *Dogmaticen christianam specialem*, seu systematis fidei christianae partem alteram sexies h. XII, *Theologiam biblicam N. T.*, seu Jesu Christi et Apostolorum vitam atque doctrinam quinquies h. IV tradet. Praeterea *societatem theologicam* moderari perget.

